MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80081-9

AUTHOR: BERGK, THEODOR

TITLE: COMMENTATIO DE CARMINUM....

PLACE: MARBURGI

DATE: [1848]

Master Negative #
91-80081-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

870.8
Z8
v.7

Bergk, Theodor, 1812-1881.
...Theodori Bergkii Commentatio de Carminum Saliarum reliquis. Marburgi, typis Elwerti academicis, [1848]
14 p. 30 cm.

At head of title: Indices lectionum...quae in Academia Marburgensi... 1847-48 habendae proponuntur.
Volume of Pamphlets

35317

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13½x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-26-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDICES LECTIONUM

ET

PUBLICARUM ET PRIVATARUM,

QUAE IN

ACADEMIA MARBURGENSI

PER

SEMESTRE HIBERNUM

INDE A D. XXV. M. OCTOBRIS MDCCCXLVII USQUE AD D. XXV. M. MARTII MDCCCXLVIII.

HABENDAE PROPONUNTUR.

Inest Theodori Bergkii Commentatio De Carminum Saliarium reliquiis.

MARBURGI.

TYPIS ELWERTI ACADEMICIS.

1847/48.

ACADEMIAE MARBURGENSIS

PRORECTOR CUM SENATU

S. P. D.

COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS.

Carminum Saliarium reliquias nuper complures homines docti tractaverunt, velut *A. E. Egger* Latini Sermon. Vetust. Reliq. p. 72 seqq. et *W. Corssen* Origines Poesis Romanae p. 15 seqq., in quo libro haud pauca ingeniose sunt disputata, sed permulta pro arbitrio dicta, quibus non videtur assentiendum esse. Non permittunt hujus commentationis angustiae, ut omnem quaestionem de Saliis sacerdotibus, de sacris, aliis denuo pertractem: nam larga superest disputandi materia, siquidem ne nomen quidem *Axamentorum* recte explicatum est; sed carmina tantum Saliaria attingam, neque vero omnes carminum reliquias percensebo, in quibus colligendis plurimum operae posuit Corssenus, ita tamen ut haud pauca aliena admisceret, nec animadverteret, quod ego in hac quaestione summi momenti esse puto, *libros* Saliorum *rituales* a *carminibus* distinguendos esse, grammaticosque, qui commentariis illustraverunt carmina, etiam illos libros tractavisse; verum majores tantum particulas, quae servatae sunt, emendare et explicare conabor.

Difficile sane et arduum negotium laceras has et corruptas venerandi carminis, quo, ut Varro ait, Romanorum prima verba poetica dicuntur latina, reliquias restituere, cum vix sacerdotes Salii sua carmina satis intellexerint, cum docti grammatici, velut Aelius Stilo, multa obscura nequiverint expedire. Sane si integra exstarent etiamnunc carmina, non equidem desperandum videretur, neque enim tot difficultates nobis objicerentur, quam nunc cum tabulas Eugubinas Umbrorum examinamus; nam haud pauca, quae sacerdotes illi vel grammatici ignorabant, nos facili negotio expediremus: nunc gravissimae difficultates existunt in his exiguis fragmentis, quae compage solutae quo pertineant saepe prorsus ignoramus. Vel sic tamen, cum parum satisfacerent quae homines docti huc usque contulerunt ad has reliquias restituendas, opus aggressus sum, atque si mihi quoque in nonnullis secus cesserit, operam tamen dedi diligentissime, ne quid proponerem, quod indignum videatur venerandi carminis antiquitate.

Omnium gravissimus est locus apud Varronem de lingua Latina VII, 26 qui ut Corssen p. 55 Lachmanni auctoritate usus dicit in hunc modum scriptus est in Cod. Florentino: „In multis verbis in quod antiqui dicebant S postea dicunt R, ut in carmine Saliorum sunt haec:

Cozeulodori eso . omina vero adpatula coemisse
Jancusianes duonus ceruses . dunus ianus
ve vet pom melios eum recum . . . [1])

. . . fedesum . federum . plusima . plurima . meliosem . meliorem . asenam . arenam . janitos . janitor.“ Ubi bene factum, quod interpunctionis ratio est habita: nam inde mihi videor colligere tres esse diversas carminis particulas servatas, de quibus deinceps dicam.

I.

Primum igitur fragmentum *Cozeulodori eso*, quamquam monstri simile videtur, probabiliter sic restitui arbitror:

Ozeul adosiose.

---

1) Spatium dimidii et quatuor versuum relictum in codice

hoc est *Sol venerande sire inclute.* Littera C orta videtur ex praegresso *haec,* quamquam etiam *Oozeul* scribi potest, quemadmodum solebant veteres geminare vocales, si producebantur [1]). *Ozeul* autem idem est quod *Sol.* Non abjudicandam esse antiquis Romanis litteram Z, ut vulgo existimant, docet Velius Longus p. 2217 qui ipsa Saliaria carmina respexit: „Mihi videtur nec aliena sermoni fuisse, cum inveniatur in carmine Saliari" nec mirum, quandoquidem haec littera et apud eos, qui Osca lingua utebantur in usu fuit, (vid. Lepsius p. 154) et apud Messapios (vid. Mommsen Inscr. Mess. p. 10.) Porro non offendendum diphthongo eu: sane nunc fere non reperitur nisi in paucis quibusdam vocabulis, in quibus ex compositione atque contractione orta est, sicut *neuter*, *neutiquam*, *seu* (pro *sive*) *neu* (*nive* vel *neve*) *ceu* (*cive* vel *ceve*, ut est in *ecce*, *hicce*, al.) at antiquitus Latinus Sermo utebatur hac diphthongo prorsus ut Graecus, in quo augendae et corroborandae syllabae inservit, ita ut plerumque in locum litterae υ substituatur ευ, velut φεύγω, λευκὸς, alia multa docent. Similiter igitur in hoc ipso Saliari carmine Juppiter *Lucetius*, dicitur *Leucesius* [2]), eodem modo Saturnus dictus *Sateurnus*, vid. Paulus Diac. p. 323: *Sateurnus* . *Saturnus* . unde Müllerus apud ipsum Festum recte scripsit: „qui deus in *Saliaribus* Sateurnus nominatur, videlicet a sationibus." Postea cum Latini magis magisque simplices vocales substituerent, dictus *Satornus* vel *Saturnus.* Contra in eodem hoc vocabulo *Ozeul* littera o valet idem quod diphthongus au; etenim ab *Solis* sive *Ausulis* religione nomen acceperunt Aurelii, vid. Paul. Diac. p. 23: „Aureliam familiam ex Sabinis oriundum a Sole dictam putant, quod ei publice a populo Romano dictus sit locus, in quo sacra facerent Soli, qui ex hoc *Auseli* dicebantur, ut Valesii, Papisii pro eo, quod est Valerii, Papisii [3])" ubi scite Müllerus conjecit fuisse apud Sabinos aliam nominis formam, quae propius ad *Auseliorum* nomen accesserit: est autem hoc ipsum quod Saliari carmini restitui *Ausul* sive *Ozeul* [4]). Omnem autem dubitationem eximit, quod apud Etruscos Sol dicitur *Usil*, vid. Müller Bullet. Arch. 1840. p. 11 (quo libro nunc non licet uti) pariterque in speculo aliquo Aurora, Solis comes, *Usil* appellatur, vid. Gerhardi Archaeol. Diar. 1847. App. Nr. 1. p. 9.

Adosiose, quod correxi, aptum est exemplum Varronis proposito, qui docet antiquos littera s pro r usos esse. Ipsum adjectivum servatum est in glossa, quam Scaliger ad Festum correxit (p. 3 ed. Müller) *Adoriosus* . ἔνδοξος, ὡς Πομπήιος . *ador.* νίκη, ὡς Πομπήιος [5]). Adoriosus sane potest dici miles laude dignus, qui virtutis praemiis ornatus est, confer. Plin. XVIII. 8, 83: „Far — primus antiquis Latio cibus, magno argumento in adoreae donis, sicuti diximus" adde ib. 14: „gloriam denique ipsam a farris honore adoream appellabant." at fuit etiam adoris usus antiquitus apud Romanos, agrestes homines [6]), in re sacra, vid. Nonium p. 37 ed. Gerlachii: „Ador frumenti genus, quod epulis et immolationibus sacris pium putatur, unde et adorare propitiare religiones potest dictum videri" et recte adhibet Virgilianum illud de coena sacra Aen. VII. 109:

---

1) Quintilian I. 4, 10: „At quae ut vocales junguntur, aut unam longam faciunt, ut veteres scripsere, qui geminatione eorum velit apice utebantur, aut duas." Adde Vel. Long. p. 2220. Terentius Scaurus p. 2255. Eademque Osci sermonis consuetudo, ut *Paakul*, alia.

2) Quem itidem diphthongo usi etiam *Loucetium* scribebant, vid Mar. Victor. p. 2459. Atque antiqui ut scripserunt *Loucanam*, vid. Mon. Scipion, ita etiam *Leucius* sive *Loucius* scripsisse videntur, hinc graece *Λεύκιος*, quae forma ab Italiotis est facta.

3) Sabinum Solis vocabulum dicit etiam Varro V, 68: „Sol, vel quod ita Sabini, vel solus ita luceat, ut ex eo deo dies sit."

4) Mutationem diphthongi au et vocalis o confirmat etiam antiqua inscriptio apud Gruterum p. 95, 6, ubi AORELIVS scriptum est.

5) Offendit tamen Festum Pompejum grammaticum auctorem adhiberi, nam quamvis ex integro Festo haec petita sint, appellari potius auctorem, quo Festus usus est, existimes. An forte utroque loco *Πομπίλιος* legendum, ut hoc ipsum Numae Saliare carmen intelligendum sit?

6) Quae antiquitus sacrorum fuerit conditio scite describit Porphyr. de Abst. II. 6.

Adorea liba per herbam subjiciunt epulis.

Adde Ennii versum in libro I apud Priscian. T. I. p. 251 ed. Krehl.

Hic adoris dat primitias, ibi sanguine libat [1]).

Hinc igitur recte deus, cui multa sacrificia offeruntur, *adoriosus* dicitur, inprimisque Soli haec appellatio convenit, cui potissimum primitias adoris oblatas esse consentaneum est: quemadmodum etiam Athenis Soli et Horis ejusmodi sacrificia offerri solebant, vid. Porphyr. de Abstin. II. 7: Πομπεύει γὰρ εἰλυςπόα, ἄγρωστις ἐπὶ πυρηνίων ἠγητορίας, ὄσπρια, δρῦς, μιμαίκυλα, κριθαί, πυροί, παλάθη, ἠγητηρία ἀλεύρων πυρίνων καὶ κριθίνων, φθοῖς, ὀρθοστάτης, χύτρος.

Jam vero Solem in Saliaribus carminibus invocari non est mirum; siquidem jam Titus Tatius Solis religionem Romam transtulisse ferebatur, vid. Varro V. 74: „Et arae Sabinam linguam olent, quae Tati regis voto sunt Romae dedicatae, nam ut Annales dicunt, vovit Opi, Florae, Vedio, Jovi Saturnoque, Soli Lunae, Volcano et Summano itemque Larundae, Termino, Quirino, Vortumno, Laribus, Dianae, Lucinaeque" quocum consentit Dionys. Halicarn. II. c. 50; nec dubitari potest, quin apud Sabinos sanctissima fuerit hujus dei religio, (conferas Ambrosch Studien und Andeut. I. p. 169 seqq.) Sane aliquis fortasse existimaverit, hunc quoque versum, quemadmodum eos, qui sequuntur, ad Janum pertinere, at non necesse est, ut Varro in his exemplis, quibus probare vult S antiquitus pro R dictum esse, justum carminum ordinem servaverit [2]).

II.

Secunda particula haec est, quemadmodum in Cod. Florent. legitur: *omina vero adpatula coemisse Jancusianes duonus ceruses.* Nolo repetere et percensere quas homines docti conjecturas protulerunt. Credo autem probabili certe ratione haec restitui posse in hunc modum:

— Omína vero ád Patúlcie misse
Jánitós Jánes: duonís cerus és. —

hoc est: *Precationes vero admitte, Patulcie Janitor Jane: bonus creator es.*

Omina [3]) preces sive precationes sunt, quemadmodum Tacit. Ann. I. 34 *faustis ominibus* dixit, et Livius in prooemio: „cum bonis ominibus votisque ac precationibus deorum dearumque libentius inciperemus." *Omina* autem admittere dictum est eodem modo, quo Livius XXXI, 5, 7: „Quum pronunciassent consules, rem divinam rite perfectam esse et precationem admisisse Deos aruspices respondere, laetaque exta fuisse": ubi interpretes cum alia comparant, tum Silii IV. 698:

Tum demum admissae voces et vota precantis
Orantique datum, ripas servare priores.

Hic autem praeterea dubium est, Janus utrum preces ad ipsum dictas an ad alios deos admittere dicatur: nam Janus est, per quem humanae preces ad deos perveniunt, vide quae monui ad Fr. IV.

---

1) Sic enim corrigendum quod vulgo legitur *primitias sibi*, nisi praeterea *dant* et *libant* malis. Ceterum *Ennii* nomen substitui, cum apud Priscianum *Gannius* male legatur. Ennii reliquiis igitur etiam duo alii versus addendi, ex lib. II:

Illam sponte satos adoris stravisse maniplos

et ex lib. IV:

Emicat in nubes nidoribus ardor adoris.

qui versus et ipse ad rem sacram pertinet, nam loquitur Ennius de nidore adoris in ardentem aram conjecti.

2) Ceterum cave existimes etiam mea correctione admissa haec ad Janum referri posse, quoniam physici quidam secundum Macrobium I. 9: „Janum Solem demonstrari volunt, et ideo geminum, quasi utriusque januae coelestis potentem."

3) Nisi forte *osmina* scriptum, conf. Varro d. L. L. VI. 76: „Inde omen, ornamentum: alterum quod ex ore primum datum est, *osmen* dictum."

Jam *misse* antiquo more pro *mille* dictum est, estque haec vel potius *smisso*[1]) principalis forma, est enim prorsus idem verbum, quod nos *schmeissen* dicimus. Tmesis autem quam restitui, non poterit esse offensioni, fuit enim, ut consentaneum est, antiquis latinis haud infrequens: sane sunt qui tmesin Romanis abjudicent vel ex imitatione Graeci sermonis profectam esse arbitrentur, quemadmodum Koenius in libro, quem de epico Latinorum sermone scripsit p. 177.[2]). At injuria: nam hic quoque, quod vir doctus identidem non animadvertit, latini sermonis ratio antiquitus eadem fuit quae Graeci. Et duo quidem antiquissima exempla ex sacris carminibus petita Festus servavit p. 190: „*Ob vos sacro*, in quibusdam precationibus est pro vos obsecro, ut *sub vos placo* pro supplico," ubi facile intelligitur, quid intersit inter verbum compositum et hanc quam dicunt tmesin. Nam in priore exemplo praepositio prorsus suam vim retinet, in altero adverbii loco est adhibita. Porro Festus duo alia exempla ex antiquis legibus affert p. 309: „*Sub vos placo* in precibus fere cum dicitur, significat id quod supplico, ut in legibus: *transque dato*, *endoque plorato*[3])." In his autem antiquissimis latinae linguae monumentis de Graecorum imitatione omnino non cogitandum esse facile apparet. Itaque neque offendendum, quod in Saliari carmine restituti *ad Patulcie misse*, et simile in ipsa dissimilitudine est, quod ex hoc eodem carmine affert Festus, de quo post dicetur:

Prae tet tremonti,

quocum componas, quod Festus p. 197 ex *vetere* aliquo carmine, ut ait, proponit:

Sed jam se coelo cedens aurora obstinet
Suum patrem.

Nec poetae qui post secuti sunt abstinuerunt tmesi, quamquam sane certas quasdam leges observare solent. Plerumque enim non plura vocabula inseruntur, sed unum tantum, idque fere minoris momenti, quemadmodum *pronomina*, vel *particulae*. Conferas Plautum Stich. I. 2. 19: Quasi nunquam quidquam *in eas insimulem*, quasi nil indaudiverim. Curcul. I. 2. 85: Si quid *super illi fuerit*, id nobis sat est. Trucul. I. 2. 1: *Adque serra* has aedis, (si satis certa haec lectio). Plurima exempla interpositae particulae *que* praebet Lucretius, ubi praeterea observandum plerumque praecedere verbum aliud cum eadem praepositione compositum, velut II. 153: Sed complexa meant inter se conque globata; et paulo alia ratione III. 344: Sed penitus pereunt convolsi conque putrescunt. Adde praeterea II. 394: perque plicatis, III. 483 inque pediri (cf. VI. 394). IV. 565 et 1145 inque pedita. IV. 715 inque tueri, ib. 888 inque gredi. ib. 1246 et VI. 570 inque gravescunt. IV. 203 perque volare quamquam hic locus etiam aliter explicari potest; V. 1267 perque forare VI. 456 conque gregantur. ib. 1263: proque voluta. At vero II. 301: et erunt et crescunt inque valebunt, corrigendum est ex codd. *vique* valebunt: nam verbum *invalere* nullum est. Porro etiam verbum *esse* pariter inseri solet, Plaut. Mercat. I. 2. 42: Vis tu te mi *ob esse sequentem* an nevis. At Mil. Glorios. IV. 4. 50: Atque *ad jubeat* ferri in navem, si quid imponi velit, corruptum videtur; codd. exhibent *atque adjuret et* vel similia, ita ut legendum videatur: *atque adjutes* ferri in navem (Terent. Hec. III. 2. 24: Tu pueris curre Parmeno obviam atque eis onera adjuta).

Contra dissyllabae praepositiones *inter* et *super*, quarum gravior est vis, multo liberius separantur, ita ut non solum quodvis vocabulum, sed etiam plura interponi possint, cf. Lucret. IV. 833: Cetera de genere hoc inter quae cunque pretantur. IV. 649: Inter enim saepit coetus natura viasque. V. 288: Et radios inter quasi rumpere lucis. VI. 332: Inter enim fugit ac penetrat; et quae liberius etiam conformata sunt V. 1337: Caerula distinguens inter plaga currere possit. VI. 953: Nec mora

---

1) Festus p. 67: „Antiqui enim interserebant S litteram et dicebant *cosmittere* pro committere." — Ceterum si quis hoc loco *mise* scribere malit, quoniam antiqui non geminabant consonantes, non adversabor.

2) Libro ipso, quae est Marburgi librorum philologorum penuria, nunc non licet uti.

3) Haud dubie haec ad XII tabulas pertinent, confer fragm. XII. apud Ciceronem pro Tullio §. 50: *Quodsi repugnaverit, endoplorato.*

nec requies inter datur ulla fluendi et III. 891: Et facit esse sui quiddam super inscius ipse, ubi praeterea *super* postpositum est.

Eadem ratio, quae praepositionum vulgarium, etiam inseparabilium, quas dicunt, *dis*, *se* etc. velut Plautus Trin. IV. 1. 14: Distraxissent, disque tulissent, quod Lindemanno injuria fuit suspectum, conferas Lucret. I. 652: Languidior porro disjectis disque supatis. et I. 453: Discidio potis est sejungi seque parari.

Nec in his solum verbis, quae cum praepositionibus composita sunt, tmesis admitti solet, verum etiam in iis, ubi verbum substantivi alicujus casum adjunctum habet, ita tamen ut utrumque vocabulum suam vim servet et copulata facile possint resolvi, velut *animadvertere* et *animum advertere*: itaque hic quoque et separationi et postpositioni locus est, velut apud Plautum Pseud. IV. 7. 43: Quisquis es adolescens operam fac compendi quaerere. Asinaria II. 2. 41: Verbis velitationem fieri compendi volo. Contra idem dixit Most. I. 1. 56: Orationis operam compendi face. Truc. II. 7. 55: Hoc, non ego te floccifacio. IV. 2. 56: De nihilo mihi est irasci, quae te non floccifacit; at Rud. Prol. 47: Is leno ut se aequom est flocci non fecit fidem, et Cic. ad Att. IV. 15: Totam denique rempublicam flocci non facere.

Alia ratio est verborum, in quibus diversae particulae plane in unum coaluerunt, itaque Ennius violenter

Saxo cere comminuit brum.

Nec dissimilia prorsus, quamquam magis toleranda sunt, quae leguntur apud Lucretium VI, 962:

Principio terram sol excoquit et facit are,

qualia plura reperiuntur apud Varronem de re Rust., velut III. 9: Sexaginta enim millia Fiscellina excande me fecerunt cupiditate. II. 9: Consue quoque faciunt, ut alligari possint, primum levibus vinclis; alia id genus.

Patulcii nomine, quod restitui, Janus solebat invocari, vid. Macrob. I. 9: „In sacris quoque invocamus — Janum Patulcium et Clusivium — Patulcium et Clusivium, quia bello caulae ejus patent, pace clauduntur" et Servius Virg. Aen. VII. 611: „Alii Clusivium dicunt, alii Patulcium, quod patendarum portarum habeat potestatem," ubi nequaquam opus est, ut *Clusium* scribatur, nam utrumque nomen recte se habet, vid. Joh. Lyd. de Mens. IV. 1: *ὁ Λαβεὼν οὖν φησὶν αὐτὸν καλεῖσθαι Ἰανὸν κοσίβιον τουτέστι βουλαῖον, Ἰανὸν κήνουλον οἷον εὐωχαστικόν, πατρίκιον ὡσεὶ αὐτόχθονα, κλουσίβιον ἀντὶ τοῦ ὁδαῖον, Ἰουνώνιον, τουτέστιν ἀέριον, κυρῖνον ὡσανεὶ πρόμαχον, πατούλκιον καὶ κλούσιον οἱονεὶ θυρεὸν, κουριάτιον οἱονεὶ ἔφορον εὐγενῶν.* Omnino autem comparandus Ovidius Fast. I. v. 127, cui videtur hic ipse Saliarium carminum locus obversatus fuisse:

Inde vocor Janus: cui cum cereale sacerdos
Imponit libum farraque mixta sale,
Nomina ridebis: modo namque Patulcius idem,
Et modo sacrifico Clusius ore vocor.

Deinde *Janitos* scripsi: propius sane ad litterarum vestigia accedit *Janeus*, quod idem significat, vid. Paul. Diac. p. 103: *Janeus*, *janitor*, quod ex antiquo monumento petitum esse vel inde conjicias, quoniam glossa: „*Im* ponebant pro eum, a nominativo is" praecedit, sequitur autem „*jusa : jura*" At requiritur exemplum ubi s pro r dictum sit, itaque *Janitos* scripsi, idque etiam Varro confirmat, qui indicat se hoc ipsum exemplum ex Saliaribus carminibus attulisse; legitur sane apud Varronem ultimo loco, et hoc ex primis exemplis fuisse videtur, at Varronem ex ordine repetivisse exempla ut credamus, non necesse est. Janitor autem recte appellatur Janus, vid. Ovid. Fast. I. 123:

Praesideo foribus coeli cum mitibus Horis
It, redit officio Juppiter ipse meo.

et planius etiam infra 137:

Utque sedens primi vester prope limina tecti
Janitor egressus introitusque videt,
Sic ego prospicio coelestis janitor aulae
Eoas partes hesperiasque simul.

Deinde restitui ***Janes*** ne littera quidem mutata, sic enim a Saliis deum appellatum esse auctor est Tertullianus Apolog. c. 10: „Italia, in qua Saturnus — exceptus a Jano vel ***Jane**, **ut Salii volunt*** [1])."

Porro litteris tantum aliter divisis scripsi: ***Duonus cerus es.*** Nam parum recte Müllerus conjecit ***Duonas Ceruses***, ut de Cerere sermo sit, quamquam sane Cereris nomen ab eadem origine descendit [2]). At vero hic consentaneum est, Jani laudes continuari: et quod scripsi, confirmat Festus p. 122: „***Matrem matutam*** antiqui ob bonitatem appellabant, et ***maturum*** idoneum usui, et ***mane*** principium diei, et inferi dii ***manes***, ut suppliciter appellanti boni essent, et in carmine Saliari ***Cerus manus*** intelligitur creator bonus." Non sane dixerim hunc eundem locum intelligi, (quanquam fieri potuit, ut alii ***manus cerus es*** hic legerent,) at similem aliquem, in quo item deus nescio quis ***manus cerus*** dictus est. Satis autem convenit hoc Jano, non solum propter ea, quae Messala apud Macrobium exponit [3]), sed maxime propter cognomen quod huc referendum ***Consivii***, vid. Macrob. I. 9: „Consivium a conserendo, id est a propagine generis humani, quae Jano auctore conseritur." Hinc explicandum quod Augustinus dicit de Civ. Dei VI. 9: „Denique et ipse Varro commemorare et enumerare deos coepit a conceptione hominis, quorum numerum exorsus est a Jano." Adde ib. VII. 2. 3.

Ceterum si quis redintegrare velit versum, non improbabile est, scribendum esse:

Janitos Janes: duonus cerus es, ***Janes.***

quod vocabulum facile apud Varronem poterat excidere.

III.

Tertius locus, qui est apud Varronem: ***Dunus ianus re vet pom melios eum recum*** multo difficilius restitui potest, cum sententiam non absolutam esse veri sit simile, siquidem in Cod. Flor. vacuum spatium dimidii et quatuor versuum haec verba excipit. Illud apparet, haec quoque ad Jani indigitamenta pertinere, itaque primum ***duonus Janus*** corrigendum; nam ***dunus*** pariter dictum esse, quod Corssen censet, parum verisimile est, cum si bisyllaba forma requirebatur, ***bonus*** potius dicendum fuit: at numerus quoque versus flagitat ***duonus.*** Contra ***Janes*** scribere, ut supra, pro ***Janus*** non ausus sum, cum in his antiquissimis monumentis nequaquam omnia ad eandem normam sint corrigenda. Jam ***veret*** pro ***ve vet***, ut Grotefendus conjecit, vel rectius ***veivet*** (sive ***veivat***) scribere pronum quidem est, at cavendum ne incidamus in nimiam Christianorum magistrorum pietatem, qui Euemeri exem-

1) Idem etiam ***Janues*** appellatus est, vid Fest. p. 189 qui ex Numae legibus haec affert: „*Tertia spolia Janui Quirino agnum marem caedito.*" Nam Janum etiam Quirinum appellatum esse testatur Joh. Lydus IV. 1 auctore Labeone, Macrob. I. 9 „Quirinum, quasi bellorum potentem, ab hasta quam Sabini *curim* vocant." Adde Monument. Ancyr.: „Cum post Romam conditam Janum Quirinum bis omnino clausum ante me fuisse prodatur memoriae, ter me principe claudendum esse decrevit senatus" quocum conf. Sueton. Aug. 22. Sed de illa Numae lege alibi erit dicendi locus.

2) Ut Varro vel potius Ennius indicat apud Varronem V. 64: „Haec enim terris gentis omnia peperit et resumit denuo, *quae dat cibaria*, ut ait Ennius. Quae quod gerit fruges, Ceres: antiquis enim C quod nunc G." at hoc loco Varronis potius sunt verba: *quae dat cibaria*, contra Ennio tribuendum:

Quae quod gerit fruges, Ceres.

3) Macrob. I 9: „Qui cuncta fingit eademque regit, aquae terraeque vires ac naturam gravem atque pronam in profundum dilabentem, ignis atque animae levem immensum in sublime fugientem copulavit circumdato coelo: quae vis coeli maxima duas vis dispares colligavit."

plum secuti omnem antiquarum religionum sanctimoniam ad humanam imbellicitatem revocare conati sunt [1]); itaque ***auctet*** scripsi, quod verbum bene convenit precibus, conf. Catull. LVII. 2:

Salve, teque bona Juppiter auctet ope.

et Plautus in Prologo Amphitruonis, ubi Mercurius dicit:

Ut vos in nostris voltis mercimoniis
Emendis vendendisque me laetum lucris
Adficere atque adjuvare in rebus omnibus —
Bonoque atque amplo auctare perpetuo lucro,
Quasque incepistis res quasque inceptabitis:

Jam in iis quae sequuntur ***recum*** non est tentandum, est enim antiquo more pro ***regum*** dictum, ut supra fr. II. ***Cerus***, ut est in Columna rostrata ***lecionebus, macestratos, ecfociont, pucnandod***; suspecta enim sunt exempla litterae G, certe quod dicit Paulus D. p. 211: „***Pennatas impennatasque agnas*** in Saliari carmine spicas significat cum aristis," olim scriptum fuisse videtur [2]) ***pesnatas impesnatasque acnas*** confer. Festus p. 205: „Pesnis pennis, ut Casmenas dicebant pro Camenis, et caesnas pro caenis" ***acna*** autem antiquitus dictum testatur Marius Victorin. p. 2459. Non minus dubia sunt, quae ex Numae legibus exempla proferri possunt, ***genua, respergito, tangit.*** — Deinde pro ***melios eum*** scribendum esse ***meliosem*** vel ipse Varro testatur, qui hoc ipsum exemplum se ex Saliaribus carminibus adhibuisse indicat. Restat igitur aperte corruptum vocabulum ***pom***, sed vix aliud latere potest quam pronomen relativum; itaque ***po***, quod Osco more [3]) pro ***quo*** dictum est, scripsi: nam non abhorruisse veteres Romanos ab ejusmodi formis docet vel Pauli D. glossa p. 512: „***Pitpit***, osce, quidquid" quae non ex Osco aliquo monumento, sed ex Latino libro, ut omnia ejusmodi, petita est; adde huc quod ***quispiam, uspiam*** ad eandem normam accedunt, ut nihil dicam de ***Pompilii*** nomine. Et fortasse hinc corrigendus Festus p. 205: „***Pa*** pro ***parte*** et ***po*** pro ***potissimum*** positum est in saliari carmine." corrigunt ***patre*** et ***populo***, prius per se non est improbabile, siquidem Graecis quoque in usu fuit πᾶ (vid. Eustath. p. 565. 2.) at alterum prorsus inauditum, nec verisimile est hic plane disparia exempla conjuncta fuisse, itaque vide an forte Festus scripserit: „Pa pro ***(qua)*** parte et po pro ***(quo)*** potissimum positum est in saliari carmine."

Totus igitur versus ita restituendus:

Dúonus Jánus aúctet, pó meliósem récum —

orationem non absolutam esse apparet, sed sententiam sic fere continuatam esse verisimile est: ***nullum terra vidit Saturnia unquam;*** etenim Janus priscis temporibus, cum Deorum commercio homines uterentur, in Latio regnavisse ferebatur, vide inprimis Ovidium Fast. I. 244, quem arbitror hic quoque Saliaria carmina ob oculos habuisse:

Hic ubi nunc Roma est, incaedua silva virebat,
Tantaque res paucis pascua bubus erat.
Arx mea collis erat, cultrix quem nomine nostro
Nuncupat haec aetas Janiculumque vocat.
Tunc ego regnabam, patiens cum terra deorum
Esset et humanis numina mixta locis.

Macrob. I. 7: „Regionem istam, quae nunc vocatur Italia, ***regno Janus obtinuit***, qui ut Hyginus Protarchum Trallianum secutus tradit, cum Camese aeque indigena terram hanc ita participata potentia possidebat, ut regio Camesene, oppidum Janiculum vocitaretur. Post ad Janum solum regnum reductum est. — Hic igitur Janus, cum Saturnum classe pervectum excepisset hospitio et ab eo edoctus peritiam

1) Lact. I, 3. Tertull. Apol. c. 10. Minuc. Felix p. 51 ed. Wouver.

2) Quamquam, cum Saliaria carmina alia aliis aetatibus composita, fortasse ferenda illa inaequalitas.

3) Vid. Mommsen Osk. Stud. p. 50.

ruris ferum illum et rudem ante fruges cognitas victum in melius redegisset, regni cum societate muneravit: cum primus quoque aera signaret, servavit et in hoc Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte sui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur, quo Saturni memoriam in posteros propagaret —[1]) hos una concordesque regnasse vicinaque oppida communi opera condidisse praeter Maronem, qui refert:

Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen,

etiam illud in promptu est, quod posteri quoque duos eis continuo menses dicaverunt, ut December sacrum Saturni, Januarius alterius vocabulum possideret. Cum inter haec subito Saturnus non comparuisset, excogitavit Janus honorum ejus augmenta: ac primum terram omnem ditioni suae parentem Saturniam nominavit; aram deinde cum sacris tanquam deo condidit, quae Saturnalia nominavit: tot saeculis Saturnalia praecedunt Romanae urbis aetatem: observari igitur eum jussit majestate religionis quasi vitae melioris auctorem" et rursus I. 9: „De Jano quoque quid ab utrisque jactetur in medium proferemus. Mythici referunt regnante Jano omnium domos religione ac sanctitate fuisse munitas: idcirco divinos ei honores esse decretos, et ob merita introitus et exitus aedium eidem consecratos. Xenon quoque primo Italicon tradit Janum in Italia primum dis templa fecisse et ritus instituisse sacrorum: ideo eum in sacrificiis praefationem meruisse perpetuam." Mythicos cum dicit Macrobius, haud dubie Hyginum potissimum intellexit, qui Graecorum, quae tunc erat, consuetudinem secutus omnem deorum majestatem ad humanas res retulit[2]): at hoc quam abhorreat ab his antiquissimis religionis monumentis, facile apparet, in quibus, ut jam significavi, nihil aliud memoriae fuit proditum, quam olim Janum, summum deum, inter homines pios et deorum reverentissimos, regnum obtinuisse: et inde demum posteriore tempore aniles illae, quas sectabantur scriptores mythici et exornarunt, fabulae ortae. Indicio autem est hic ipse locus in Saliaribus carminibus non tantum exilia fuisse indigitamenta, verum etiam mythica argumenta si non pertractata, at certe significata. Et propterea illud, quod Dionysius Halicarn. I. 79 de Romulo et Remo dicit: *οἱ δὲ ἀνδρωθέντες γίνονται κατά τε ἀξίωσιν μορφῆς καὶ φρονήματος ὄγκον, οὐ συφορβοῖς καὶ βουκόλοις ἐοικότες, ἀλλ' οἵους ἄν τις ἀξιώσειε τοὺς ἐκ βασιλείου τε φύντας γένους καὶ ἀπὸ δαιμόνων σπορᾶς γενέσθαι νομιζομένους, ὡς ἐν τοῖς πατρίοις ὕμνοις ὑπὸ Ῥωμαίων ἔτι καὶ νῦν ᾄδεται*, ad haec ipsa carmina refero.

IV.

Restat quartum fragmentum, quod Varro continuo subjungit Lib. VII. 27: „Ab eadem voce canite, pro quo in Saliari versu scriptum est cante, hoc versu: ***Dirum empta cante, dirum deo supplicante***" quod et ipsum ad Janum pertinere ostendit Macrobius I. 9: „Janus — Saliorum quoque antiquissimis carminibus ***deorum deus*** canitur" et infra: „In sacris quoque invocamus Janum — patrem, quasi deorum deum[3])." Non tamen propterea cum Müllero corrigendum: ***dirom deom supplice cante.***

1) Omnia haec Macrobius ex Hygino exscripsit, quemadmodum etiam illa, quae subjungit: „ita fuisse signatum hodieque intelligitur in aleae lusu; cum pueri denarios in sublime jactantes *capita aut navia*, lusu teste vetustatis exclamant" et ex Hygino itidem petiisse videtur Paullinus Nolanus ap. Murator: Anecd. T. I. p. 121.

2) Eodem modo Lydus de mens. IV. 2 refert fuisse, qui Janum heroem esse diceret, et hanc doctrinam etiam Servius ad Virgil. Aen. VIII. 336 (Reliquias veterumque vides monumenta *virorum:* Hanc Janus pater, hanc Saturnis condidit arcem) sequitur: „condidit: hoc sermone ostendit etiam Saturnum virum fuisse." Quae ibidem de Jano leguntur, temere contracta sunt ex ampliore expositione. Cum Hygino fere consentiunt quae ex Dracone Corcyraeo *περὶ λίθων* affert Athen. XV. p. 692, D. Et hinc patribus Christianis opportunitas impugnandae gentilis superstitionis data.

3) Conferas Septimii carmen apud Terentianum Maur. v. 1893:

Jane pater, Jane tuens, dive biceps, biformis,
O cate rerum sator, *o principium deorum*,
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,
Cui reserata mugiunt aurea claustra mundi:
Tibi vetus ara caluit Aborigineo sacello.

Nam Macrobius cum dicit: ***canitur deorum deus,*** sententiam, non ipsa verba retulit. Sane aliqua ex parte haec conjectura videtur eo commendari, quod antiqua Romanorum poesis haud raro homoeoteleuto in extremis versibus aut versuum articulis usa est, quemadmodum Ennius in cantico Andromachae, quod emendatius paulo subjiciam:

Ex ópibu' summis ópis egens, Hectór, tuae,
Quíd petam práesidi aut éxsequar? quóve nunc
Auxílio exili aút fugaï fréta sim ?
'Arce et urbe órba sum. Quo áccedam? quo ápplicem?
Quoí nec arae pátriae domi stant, fráctae et disjectaé jacent,
Fána flamma déflagrata, tósti alti stant párietes
Défórmati atque ábiete crispa.
* *
O páter, o patria, o Príami domu',
Septum áltisono cardíne templum,
Vidi égo te, adstante ope bárbarica,
Tectís caelatis láqueatis
Auro, ébore instructum régifice.
* *
Haec omnia vidi *inflámmari,*
Priamó vi vitam *evitari,*
Jovis áram sanguine *túrpari,*
Vidí, videre quód me passa aegérrume,
Hectórem curru quádrijugo *raptárier,*
Hectóris gnatum dé moero *jactárier.*

et idem Ennius in Alexandra:

Perculsus, curis sumtus ***suspirantibus,***
Exacrificabat hostiis ***balantibus.***

et Pacuvius Teucro:

Quae desiderio alumnum ***poenitudine***
Squales scabresque inculta ***vastitudine.***

item Attius:

Coelum nitescere, arbores ***frondescere.***
Vites laetificae pampinis ***pubescere,***
Rami bacarum ubertate ***incurviscere.***

et qui propius etiam accedit ad leoninorum, quos dicunt, versuum similitudinem, Naevius in bello Punico:

Inerant signa expressa, quomodo Titani,
Bicorpores *Gigantes,* magnique ***Atlantes***,
Runcus atque Purpureus filii terras.

et sic apud elegantiores quoque poetas non desunt similia exempla, omninoque ista medii aevi poesi magna ex parte nihil aliud factum, quam ut popularium cantilenarum elementa diuturno situ oppressa resuscitarentur. — Sed revertar unde digressus sum. De Mülleri conjectura dubito vel propter adverbii insolentiam ***supplice***, quam analogia non satis tuetur. Praeterea ***empta*** aperte corruptum est, legendum videtur:

Dívum témpla cánte, divúm deo súpplicáte.

et ***supplicate*** etiam alii scripserunt, servaturque etiam hac ratione vocis et soni similitudo quaedam. ***Divum templa*** sunt coelum, quemadmodum Ennius apud Varronem VII. 6: ***Unus erit, quem tu tol-***

les in coerula coeli Templa, et: *Contremuit templum magnum Joris altitonantis.* item in Hecuba: *O magna templa coelitum commixta stellis splendidis.* Convenit autem hoc ipsum, quod templa deorum cantari jubentur, bene cum Jani natura, de quo Ovidius Fast. I. 117 ait:

Quidquid ubique vides, coelum, mare, nubila, terra,
Omnia sunt nostra clausa patentque manu.
Me penes est unum vasti custodia mundi [1]).

Nam invocato demum Jano preces humanae ad Deos perveniunt, ut dicit ipse Janus ibidem v. 181:

Templa patent auresque deum: nec lingua caducas
Concipit ulla preces, dictaque pondus habent.

Quorsum pertinet, quod Servius dicit ad Virg. Aen. VII. 610: „Alii Janum aërem credunt, et quia vocis genitor habeatur, idcirco ei mandari preces nostras ad deos perferendas.“ Ceterum existimo hunc versum subsecuta esse Fr. II. et III: ac vix dubitandum videtur, quin *Januli* versus vel *Januales* ab hoc eodem versu initium ceperint, quem commode deinceps ipsa dei invocatio et laudes sequebantur. Rursus autem existimo Januales versus primum locum obtinuisse inter eos, qui singulorum numinum laudes continebant, ita ut *axamenta* tantum praecesserint.

V.

Exstat apud Terentium Scaurum de Orthogr. p. 2261: „Quoniam Antiqui pro hoc adverbio (*quum*) *cume* dicebant, ut Numa in Saliari carmine: *Cume ponas Leucesiae praetexere monti quotibet cunei de his cum tonarem*.“ Recte Müllerus *Lucetii* nomen hic delitescere existimavit ad Festum p. 114 (Lucetium Jovem appellabant, quod eum lucis esse causam credebant) praecipue cum Macrob. I. 15: „nam cum Jovem accipiamus lucis auctorem, unde et Lucetium Salii in carmine canunt, et Cretenses Διά τὴν ἡμέραν vocant, ipsi quoque Romani Diespitrem appellant ut diei patrem“ dicat [2]). Jovem autem Lucetium jam antiquissimis temporibus in Latio cultum esse, non videtur ambiguum, conferas etiam Ambrosch Studien und Andeut. I. p. 145, quamquam is de ipso nomine dubitat: injuria ut opinor: nam quod Servius ad Virg. Aen. IX. v. 579 dicit Osca lingua Jovem appellari *Lucetium*, id nequaquam docet adventiciam esse hanc religionem: sed plurima ut in sermone, ita etiam in cultu deorum omnibus his gentibus inde ab antiquissimo tempore communia fuerunt [3]): Servii adnotatio nihil aliud docet, quam vulgare hoc apud Oscos, apud Latinos reconditum fuisse nomen: quod autem Naevius Campanus Lucetium nominavit (Gell. V. 12) id minus etiam probat. Recte vidit Corssen *cume tonas* scribendum esse, at quae de reliquis conjecit, ferri nequeunt. Dudum est cum huic loco emendando adhibui Festi glossam p. 205: *Pretet tremonti . praetemunt pe:* verissime enim Müllerus: „*Prae tet tremonti*, praetremunt te“ correxit, viditque omnes glossas, quae illo loco leguntur, ad Saliaria carmina pertinere. Hac igitur glossa usus certo satis credo me priorem versum emendavisse:

Cúme tonás, Leucésie, praé tét tremónti.

Confirmatur autem haec correctio magnopere etiam alliteratione, cujus ut studiosissimi fuerunt veteres latini, ita in his antiquissimis carminibus, quae Saturnio numero composita sunt, fere legitima est, maximeque regnat in posteriore versus parte. Indicio est vel Naevii epigramma:

---

1) Adde quae ex Physicis profert Macrobius I. 9: „Janum quidam solem demonstrari volunt, et ideo geminum, quasi utriusque januae coelestis potentem, qui exoriens aperiat diem, occidens claudat; invocarique primum, cum alicui res divina celebratur, ut per eum pateat ad illum, cui immolatur accessus: quasi preces supplicum per portas suas ad deos ipse transmittat — alii mundum, id est coelum esse voluerunt, Janumque ab eundo dictum, quod mundus semper eat, dum in orbem volvitur et ex se initium faciens in se refertur“

2) Ita etiam appellatio summi dei *Diovis* tam Osca quam latina fuit, cf. Mommsen Nachträge p. 108.

3) Minus recte Hartungius Lucetiae Junonis memoriam obliteratam esse credit, quam solus dicit Marcianus Capella II. p. 199.

Immortales mortales flere si foret fas,
Flerent divae Camenae Naevium poetam.
Itaque postquam est Orcino traditus thesauro,
Obliti sunt Romae loquier Latina lingua.

Item in Epigrammate nuper Sorae reperto (vid. Bulletino Napolet. 1846. Nr. 68.)

Quod re sua diffeidens aspere afleicta
Parens timens heic vovit, voto hoc soluto
Donū danunt Hercolei maxsume mereto:
Semol te orant se voti crebro condemnes.

In Saliaribus carminibus huc pertinent cum alia, tum quae jam olim composui, *praeceptat promenerrat*, et *abercet acosem;* alia Livii et Naevii carmina suppeditant; sed dicendum de hac re alias accuratius. — Ceterum formam *tremonti* jam Müllerus recte animadvertit proxime accedere ad Graeci verbi terminationem, maxime quam Doriensium sermo, antiquitatis ille quidem tenacissimus, servavit. Etenim apud Latinos quoque antiquitus tertia persona tam singularis quam pluralis numeri littera vocali terminabatur, hinc etiam apparet, non recte eos judicare, qui quemadmodum Georg. Curtius p. 38. censent in passivis formis *amatur, amantur*, insertam esse litteram ū, sed est haec ex activa forma servata, quemadmodum ū et ī ubique variari solent. Eademque ratio est secundae personae singularis, ubi *amaris* itidem servavit antiquam activi formam, quae fuit *amasi.* Omnino si plures reliquiae horum carminum exstarent, certius de antiquissimo Latino sermone judicari posset; sed vel hae paucae reliquiae multa satis illustrent; ita glossa, quam Festus ex Saliari carmine p. 205 affert: *Prospices, prospice*, arguit etiam imperativum antiquitus servavisse personae significationem, et ad eandem normam revoco quod est ibidem: *Perfines, perfringas:* nam haec quoque imperativi est forma: *perfinere* autem est *perfindere*, quemadmodum ab eadem stirpe solet *finis* vel antiquo more *feinis* dici.

Jam quod hic legitur *prae tet tremonti* tmesis quae dicitur speciem refert, at revera *prae* est praepositio conjuncta cum pronominis ablativo *tet;* sed tamen hic ipse locus docet, qui sit factum, ut *med*, *ted* promiscue et ablativi et accusativi loco dicerentur; etenim cum mutata structura etiam *praetremunt te* dici potuerit, servatum est ex illa structura *tet* (ted), atque inde sensim illa confusio orta. Neque enim unquam temere adjectum illud D paragogicum quod vocant; nihil probant exempla, qualia sunt *postidea*, *antidhac*, *prodesse*, alia id genus, quae inde sunt explicanda, quod solebant antiquitus Latini per pleonasmum quendam suffixa casuum etiam ipsis praepositionibus addere, quod profecto non insolentius est, quam quod Graeci dixerunt τοῖσδεσι pro τοῖσδε. Sed dicam de hac re accuratius in commentatione *De ablativo linguae latinae.*

Restat alter versus, quem Corssen ita conformavit:

Quo tibimet cunei dehiscunt, oramen.

Et *dehiscunt* quidem proxime accedit ad litterarum vestigia, nam saepenumero M et NT sunt permutata [1]) at sententiae prorsus adversatur. Omnino dubitari potest, an hic versus cum priore arcte co-

---

1) Sic in Tabula Bantina lin. 19 graviter exercuit homines doctos forma *Kensamur*, ubi corrigendum est *Kensantur:* utrum homines docti qui descripserunt, an is, qui titulum exaravit, a vero aberraverint, non multum refert: Oscum *Kensantur* est Latinum *Censentor*, nam imperativus passivi omnino requiritur, nec offensioni est pluralis, ubi praegressum est *si quis.* Cave autem existimes hos titulos liberos esse a depravationibus: sed est hic quoque conjecturae locus, quamquam magna est cautio adhibenda, ne ea quae sana sunt tentemus. Sic in tabula Veliterna, quae Volscorum dialectum exhibet non multum illam quidem discrepantem ab Osco sermone, quod legitur: *ek se Kosuties ma ka tafanies medi's sistiatiens*, id scribendum omnino: *sistatiens*, hoc est *statuerunt*, ubi perfectum reduplicatione ad eundem modum auctum est, quomodo *sisto* ex *sto* ortum est.

haereat, quamvis ex eodem carminis loco petitus sit: nam videtur a grammatico eo consilio adhibitus esse, ut ostenderet praeter *cume* etiam *quom* in Saliaribus carminibus reperiri, quae varietas non poterit mira videri. Quamquam autem quid scriptum sit antiquitus, difficile divinari potest, hanc tamen propono conjecturam:

Quóm tibeí cúnei décstumúm tonáront.

Tibei, quemadmodum in tertio Scipionum titulo est: „Majorum obtinui laudem, ut sibei me esse creatum Laetentur.“ *decstumum* scripsi, non *dextimum*, siquidem antiquis littera X non fuit in usu, vid. Mar. Victorin. 2466. fierique potest, ut scriptum fuerit *dehstumum*, quemadmodum Osci *ehtrad*, dixerunt pro *extra*, vid. Cipp. Abellan. l. 31. *Tonarerunt*, quod alias non legitur, componas cum Horatiano Epod. 2, 51: „Si quos Eois *intonata* fluctibus Hiems ad hoc vertat mare.“ *Cunei* autem videntur intelligi, quibus tam fulgura quam tonitru excitatur: inde Juppiter lapidem silicem manu gestabat, cujus venis quasi abstrusus latet ignis divinus, quem cum jaculatur ignis fulgorem cum tonitru edit. confer. praeter ceteros Paul. Diac. p. 92. Horatius igitur cum Od. I, 34, 5 dicit:

namque Diespiter
Igni corusco nubila dividens
Plerumque per purum tonantis
Egit equos volucremque currum.

Graecorum magis vulgarem opinionem secutus esse videtur. A dextra autem parte tonitrua mala portendebant, siquidem Cicero dicit de Divinat II. 39: „Ad nostri augurii consuetudinem dixit Ennius:

Cum tonuit laevum, bene tempestate serena.

At Homericus Ajax apud Achillem querens de ferocitate Trojanorum nescio quid, hoc modo nominat:

Prospera Juppiter his dextris fulgoribus edit.

Ita nobis sinistra videntur, Graecis et Barbaris dextra meliora.“ Romanos autem non solum fulminibus, sed etiam tonitribus multum tribuisse cum alia [1]) ostendunt, tum *tonitruales libri*, quos commemoravit Cicero de Div. I. 33: „Quod Etruscorum declarant et haruspicini et fulgurales et tonitruales libri, vestri etiam augurales“ ubi omnino improbanda lectio *rituales*, quam commendat Müllerus de Etruscis T. II. p. 30. Neque dubito quin diarium illud tonitruale, quod Johannes Lydus ex Nigidio Figulo convertit (ἐφήμερος βροντοσκοπία τοπικὴ πρὸς τὴν σελήνην κατὰ τὸν Ῥωμαῖον Φίγουλον ἐκ τῶν Τάγητος καθ' ἑρμήνειαν πρὸς λέξιν) petitum sit ex illis ipsis Etruscis libris, quos Cicero dicit: atque hoc diarium Romae tantum convenire ipse dicit Lydus p. 331: ταύτην τὴν ἐφήμερον βροντοσκοπίαν ὁ Νιγίδιος οὐ καθολικὴν ἀλλὰ μόνης εἶναι τῆς Ῥώμης ἔκρινεν. — Sed haec quidem hactenus.

---

1) Velut illud, quod Cicero affert de Divin. II. 18: „Itaque in nostris commentariis scriptum habemus, *Jove tonante* fulgurante comitia populi habere nefas“ adde de Nat. Deor. II. 25.

P. P. in Academia Marburgensi die X mensis Julii MDCCCXLVII.